



BIBLIOTEKA


Zakl. Nar. im. Ossolińskich

XVI

3192







In obitum Martini

HIERTMARIi GERMANI, VI-
ta piè defuncti Biturigibus Gallorum XIII.

Cal. Decemb. Anno 1557.

ELEGIA,

*AVTORE IOANNE
ROSETO SILESIO.*

PARISIIS,

Apud Andream Wechelum, anno
Salutis, *M. D. LVIII.*

*Obitus Martini Hieronymi Germani
3 Aprilis Anno 1558.*

35.633

In nomine M...
ANNO VI
XIII

ROBERTO SIDES...

XVI. Qu. 3192



In obitum Martini Hiert-
MARIi GERMANI, VITA PIE
defuncti Biturigibus Gallorum XIII.

Cal. Decemb. Anno 1557.

Ioan. Rosetus Silesius.

Qui regit immensi flammantia sydera Cæli,
Præterea quicquid maximus orbis habet.
Ille pater rerum, supera regnator in arce,
Sic hominum nasci iusserat omne genus:
Scilicet ut primùm nati sumus, heu moriendi
Nos pariter teneant vincula amara reos.
Iudicis hæc stricti remanet sententia firma:
Impositum nobis quàm graue pondus adest?
Est ea causa mali malum, quod ab arbore raptum
Mater prima suo præbuit Eua viro.
Quo simul æternæ damnamur crimine pœnæ,
Subdita quo morti corpora nostra iacent.
Sic quoque Martinus, patrijs qui nuper ab oris
Missus in hanc urbem, morte peremptus obit.
Disceret ut iuris quæ sunt præcepta tenenda:
Quo mores, quo sit vita regenda modo.
Nec numerus saltem patriæ superesset amata,
Sed pius, & prudens, utilis usque foret.

Qui quantum fuerat multis virtutibus auctus,
 Artibus excultus, moribus atque bonis:
 Non minus hunc viridi rapuit mors flore iuuentæ,
 Egregius iustam flos cadit ante diem.
 Nam potuit nemo crudeles flectere Parcas,
 Cunctis quæ fixo tempore fila secant.
 Nec iuuat hinc virtus, non gentis nobile stemma:
 Non fauor, aut pietas, non valet ullus honor.
 Diues, inops, pulcer, præstas, mas, fœmina & ifans:
 Omnibus his Leibi est pallida imago comes.
 Siue potitus eris rerum, vel sis timor orbi:
 Postmodò viuendi munere functus obis:
 Est ubi belligerans ad Troiam missus Achilles?
 Nunc ubi sunt vires Hectoris, arma, manus?
 Magnus Alexander, qui tot deuicerat hostes,
 Annè leuis tantùm puluis & umbra iacet?
 Quid iuuat excelsos Romana potentia Ciues?
 Quid iuuat imperij vis, decus, amplius honor?
 Sunt ubi cultores Sophiæ? quo doctus Homerus
 Decessit? quibus hæc lux diuturna fuit?
 Atque ubi Sanctorum mansit pia concio patrum,
 Quæ coluit pura religione Deum?
 Nemo potest gelidæ legem præscribere morti,
 Nullus ab hac penitus liber abibit homo.

5

Cernimus agricola, magnorum funera Regum:
Cum puero canum claudere fata senem.
O genus humanum plena est tua vita laborum,
Pluribus ærumnis, mille referta malis.
Heu nimium verè lachrymarū in valle moramur
Temporis ignari, quo pia fata vocant.
Est potior bruti status hac ratione caduci:
Debet enim tantum disperisse semel.
Nec timet horrendam diuini Numinis iram,
Nec quas eructant Tartara sæua minas:
Ast homo præsentis memor est, cauet unde futurã
Mortem, qua stygio mergitur amne miser.
Est maledictus enim sceleris patratore iniqui,
Faucibus hic Orci præda petita venit.
Quæ bonitas igitur? quæ spes? quæ munera tandem
Hac homines dura conditione leuant?
Nosse Deum superest nobis via prima salutis,
Illius & gnatum, qui luit omne scelus.
In cruce delicti veteris quia sustulit iram,
Nostraque restituit sanguine damna suo.
Hoc opus, hic labor est quos sæcti Pneumatis ardor
Instruit: & CHRISTI calica regna trahunt.
Quanquam Christicolæ angunt discrimina vitæ,
Hos tamen in summo spes fouet alma Deo.

Illecebræ nulla, non atri blanda Tyranni
 Regna nocent, hi ceu lilia pulchra virent.
 Hos alit in in fragili caelestis corpore panis,
 Hos vegetat CHRISTI saluificusq; cruor.
 Expectantque oculis illam vigilantibus horam,
 Qua redeat moriens vermibus esca caro.
 Donec ad aeterni mox celsa palatia Regni
 Suscitet aetherea clangor ab axe tubæ.
 Hoc obiit noster Martinus, spèque fidèque
 IN CHRISTVM posita, nobiliore modo.
 Spiritus, & caro dum moribunda excedere terra
 Contendunt: grauior lucta subesse nequit:
 Non tamen hunc linquit constans fiducia cordis,
 Nititur in sancto, mente animoque, Deo.
 Nam sibi proposuit promissæ gaudia sedis,
 Hæc patiens egro corpore dicta dedit:
 Dum scio pro nobis perpeßsum probra necemque
 CHRISTVM, cur tenuam talia ferre libens?
 Huius ego in mortẽ morior, sua mors mihi vita est:
 Hoc vinco Satanae iura inimica crucis.
 Hic deus & dominus diuũq; hominũq; redemptor
 Solus adest animæ spes, via, vita meæ.
 Sic ait: & postquàm morienti deficeret vox,
 Supremum placidè finiit ipse diem.

O iuuenis fœlix, vera pietatis amator:

Te pius in cœlo nũc quoq; CHRISTVS amat.

Est tibi parca quies, fruëris cœlestibus oris:

Optatos portus hospiciũmque tenes.

Ergo pijs frustra deflent tua fata parentes,

In vanum lachrymæ fratris & ora rigant.

Mors tua dis cruciet nec fidi pectus amici,

Latemur potiũs te occubuisse piẽ.

Abstineant luctu patriæ Tyrolensia rura,

Cur Athesis mœrens Nais ad antra sedes?

An perũsse putas tibi quẽ sacra numina seruant?

Tunẽ doles quem nunc regna beata iuuant?

Excute iustitiam porrò de pectore inanem,

Vuentũmque magis crimina tetra geme:

Qualia sunt dolus, impietas, discordia, luxus,

Ira, & auaritiæ flagitiosa lues.

Et capite elato damnosa superbia Mundi,

Et sceleris quicquid perfidus hostis agit.

O miseros, istis quorum sunt impia plena

Pectora criminibus, nil nisi pœna manet.

Quos respicientes veniæ nisi gratia sanet,

Atque suis vitijs abstinuisse volent:

Fulmine Rex superũ damnatos trudet ad Orcũ,

Quos ubi Tartareo torqueat igne Satan.

*Talem lucifico ploremus carmine vitam,
Hanc fletu doleant Pieridésque gravi.*

EPITAPHIVM MARTINI
Hiertmarij Germani, &c.

N

*BVLSARVM niueos tollés ad sydera mōtes
Me genuit, Tyrolis patria terra fuit.
Deditus hanc iuris studio sed linquere cogor,
Continua feбри dum mea vita perit.
Ergo vale patria, & cari saluete parentes:
Condit humo Biturix corporis ossa mei.*

Io. Rosetus S.

FINIS.



5414
c



